

si ulcisci non potest, præ rabie moritur, ut Pier. lib. XIV. Barthol. Angl. et alii. Ad eundem modum iracundi plerique forte offensi, diutissime virus et vindictæ appetitum secum in corde gerunt et ultionis occasionem quarunt : sed magno suo periculo ; nam uti partus quo diutius retinetur, eo fit major et difficilior ac periculosius emittitur, sæpe cum interitu matris : ita vindictæ appetitus diu retentus. Crescit enim in dies, et ira quæ festuca erat, inveterata fit odium et trabs, S. Chrysost. ho. XIV. in epist. ad Eph. ait : « Quomodo si quando, quod aeri nebulosum ac densum per noctem accessit, diurno calore sol nec dissolvere poterit nec dissipare, causam ac materiam tempestatis exhibet, quod residuum est apprehendente nocte, illudque rursus aliis vaporibus augmentante : ita habet iræ conditio. » Caveant ergo isti, quia ex iræ nubecula, tempestatem sibi parient, tonitrua et fulmina, rixas, mutilationes et forte cædes, nisi eam mox dissipaverint calore charitatis. Accedit S. Augustinus, epist. LXXXVIII. inquit : *Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit.* Propterea apostolus ad Eph. IV. non concedit alteram diem iracundo : *Sol non occidat*, inquit, *super iracundiam vestram* : et Dominus immediate post hodiernum evangelium subjungit : *Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris.* Nemo enim nescit, quod si reus cum actore postulatus de mutilatione, v. g. prius amice transigat, quin multo consultius agat, quam si rem iudicio committat ; ibi enim non tantum ad expensas et damnum condemnabitur actori, sed etiam iudici multam luet. Scribit Polybius Antiochum cognomento Epiphanem seu illustrem, cum Alexandriam obsideret sub Romanorum tutela constitutam, et interim senatus Romanorum Popilionem senatorem ad eum mitteret, qui diceret, ut ab obsidione cessaret, sin minus, Romanorum inimicus haberetur, respondisse, se hanc rem maturius deliberaturum ac respondurum. Tunc senator Romanus lineam fecit vitrea virga in circuitu Antiochi, dixitque : *Hocne in dubium tibi revocandum est, an hostis Romanorum sis? Non præteribis hanc lineam, donec id definas et decernas.* Tunc Antiochus annuit, et obsidionem solvit. Tibi hoc dicitur iracunde, apostolus enim circulum solis tibi circumscribit, ut ne diem hanc excedas, quin dimittas iram et ultionis appetitum : *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Dominus ipse brevissimam tibi viam assignat, dum vadis cum adversario e domo tua ad domum iudicis, uti ne expectes usque ad ingressum illius, alioquin hostis non

Romanorum sed ipsius Dei futurus. Quid igitur tu? Adhucne deliberabis? Excedesne ex hoc spatio?

Deinde, nonne Dominus vult in hodierno evangelio dimitti munus in altari et prius deponi iram fierique reconciliationem cum fratre? Quæ vero est hæc tanta necessitas et causa festinationis? Nimirum : *Te querit Deus magis quam munus tuum*, ait S. August. serm. XVI. de verbis Domini. Timet enim ne te perdat, ne tu præveniaris ab ira Dei. Si scires tibi solvendum esse creditorem dum sol lucet, alioquin in vincula eundem perpetua : quis tibi non suaderet, quis non hortaretur ut ante omnia creditori satisfaceres?

IV. Rixa et contentio, quam et gallus gallinæus mirifice amat præsertim ubi vinum adustum prius bibit ; querit enim ex instituto, cum quo rixari possit : in certamine calcariibus, penis, rostro pro armis utitur, pennas subrigit, saltat, cedere contemnit : audiens alterum cantantem, mox eum provocat ad certamen. Cæterum victor, interdum dum canit trophæum, arripitur ab aquila, ut est in fabula illa. Hinc etiam partus hominis iracundi est, nam Proverb. XXIX. dicitur : *Vir iracundus provocat rixas.* Tales enim studio querunt quibuscum rixari possint, præsertim ubi vino incaluerint, et nihil non audent. Primo, inquirunt, quod in altero carpant, vel aliunde occasionem arripiunt altercandi : deinde, verbis contendunt, et se mutuo provocant, uti Goliath Davidem. Postmodum lapides conviciorum lingua quasi funda emittunt, uti Semei contra Davidem : denique, ubi minus quasi pugnatum est, tandem ad manus et gladium veniunt, ad vulnera, ad cædes : post hæc ad multam, bonorum confiscationem, ad infamiam, et supplicia publica. Ita miseri post tot labores metunt sibi dolorem, inopiam, ignominiam, necem. Hinc bene Jeremias, cap. 1. duabus illis visionibus, primo, videt ollam succensam ; deinde, virgam vigilantem ; siquidem Deus veluti oculatissima aquila vigilat super huiusmodi gallis cum virga sua, et sæpissime statuit ut tales Goliathi ab exiguo Davide turpiter occidantur et ita victus quidem intreat, victor vero publico supplicio exterminetur. Sic minatur Sobnæ præposito, Isa. XII. *Quid tu hic, quia excidisti hic in petra tabernaculum tibi? Ecce asportari te faciet Dominus, sicut asportatur gallus gallinæus.* Et non sufficiat hoc ad rixas et duella compescenda? Certe duces aliqui solent hoc pacto militibus suis duella prohibere, concedunt eis duellum, sed ea lege ut qui alterum occiderit, mox suspendatur. Connivet etiam Deus ejusmodi lanistis, sed tandem victorem gravius punit. Non au-

dimus in hodierno evangelio : *Qui irascitur fratri suo; qui dixerit : Raca; qui dixerit : Fatue; reus erit iudicio, concilio, gehenna ignis?* Quid severius dici poterat? Si talium reus est, qui irascitur et conviciatur ; qui cogitatione tantum et lingua vulnerat vel occidit ; qualium reus non erit, qui reipsa vulnerat, mutilat, occidit?

Accedit quod : *Puerilis animositas est contendere*, inquit S. Augustinus, epist. CLXXIV. et studere ut alterum vincat, cum apud Christianos vincere solum debeat veritas, pax et humilitas. Audiatur vel ethnicus Seneca, lib. II. de ira, cap. XXXIV. *Cum pari contendere anceps est*, inquit, *cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum.* Audiatur et Sapiens, Prov. XX. *Honor est homini, qui separat se a contentione* : omnes autem stulti miscuntur contumeliis, id est, contentione, quæ gignunt et jactant contumelias.

Quando igitur videmus, auditores, quam fœdi et abominandi sint partus iracundiæ, fugiamus eorum matrem ; scientes quoniam iracundi saltim in gehenna, sociabuntur tartareis bestiis, canibus, simiis, serpentibus, quorum bilem et sævitiam imitari in terris voluerunt. Quod a nobis avertat Deus.

CONCIO VIII.

CAUSÆ ET FINES OBLATIONUM.

I. Fiunt in signum recognitionis. — II. Ad venerationem Christi in altari. — III. Administratorum Ecclesiæ sustentationem. — IV. Ad impetranda vicissim alia bona.

THEMA.

Tunc veniens offer munus tuum. Matth. V.

Notandum est, auditores, quod jubet Dominus in hodierno evangelio relinquere munus ad altare, et prius quam offeratur, ire ad reconciliandum fratrem. Hinc enim manifeste sequitur, munera quæ homines offerunt ad altare, Deo grata esse. Alioquin enim Dominus jussisset absque dubio tolli ab altari munus et a conspectu suo abjici, quasi execrandum aut superstitiosum. Verum tantum abest ut abjici, id jussisset, ut ad altare relinqui, postea offerendum et a Deo acceptandum. Non præcepit nobis ut sublato de altari munere, cum eo discederemus et reverteremur ; ne forte penitentia oblationis ducti, munus retraheremus ; Deoque subtraheremus, sed mandavit munus relinquendum in altari, utpote ei decretum et cæteroqui gratum. Quid hic obgannient hæretici, qui calumniantur oblationes quæ fiunt ad altare, a sacerdotum avaritia excogitatas, insuper superstitiosas esse? Contemptis igitur his canum latratibus, osten-

damus oblationes actum religionis Deo gratam esse ex earundem causis et finibus.

I. Fiunt in signum recognitionis, quod omnia nostra a Deo habeamus, illique accepta feramus. Sic enim solent domini feudorum vel prædiorum requirere a vasallis suis in recognitionem certum munus annuum, vel cum feudo fit caducum : vel ab emphyteutis certam partem fructuum. Atqui nos a Deo omnia habemus, eique omnia debemus ; hoc ergo munere aliquo licet impari et exiguo recognoscere et profiteri debemus : idque adeo naturæ consonum est, ut nulla pene natio fuerit tam barbara, quæ non certa munera diis suis offerre, uti crocum, thus, pecora soleret. In vita S. Athenogenis, legimus cervam ei fuisse, quæ evangelicæ lectionis tempore hinnulum suum in divinis officiis Ecclesiæ offerre consueverat, Metaph. et Lipom. in ejus vita. Quare ostendere voluit Deus, gratam imo debitam sibi esse oblationem nostram. Duo magna bona nos a Deo habemus, corpus et animam, et quæ ea consequuntur. Inspice bene utraque, et videbis in iis Dei imaginem ; Deo ergo debentur. Unde S. Bern. serm. III. de purific. ait : *Ut vidua evangelica duo æra minuta misit in ærarium templi : ita nos duo minuta, puta corpus et animam Deo offeramus.* Hinc bis in officio divino ad altare offerri solet. Unde cum quis offert donum suum ad altare, cogitet se hoc externo dono velle seipsum Deo offerre. Non enim vult Deus donum nostrum sine nobis. Ostendimus etiam his munusculis nostram gratitudinem, quam debemus Deo largitori bonorum omnium ; audituri alioquin illud Domini : *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo*, Luc. XVII. Nec refert, quod quæ offerimus Deo, semper ipsius Dei sint et maneant ; mentem enim gratam non divitias ei dare volumus, simulque ostendere nos debere ei omnia, quia ab eo accepimus omnia. Ita David, 1. Par. ult. orabat : *Quis ego et populus meus ut possimus hæc tibi universa promittere? Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

II. Ad venerationem Christi in eucharistia ad nos venientis sub officio missæ ; sic enim accedenti ad tabernaculum vel templum præcepit Deus, Exod. XXIII. *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, id est, sine oblatione seu munere : Hebraica verba sonant : *Non videbuntur facies meæ vane.* Videmus autem faciem Dei quodammodo in sacrificio missæ. Hinc Gregorius VII. an. 1078. præcepit : *Omnis Christianus procuret ad missarum solemniam aliquid Deo offerre et reducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit : Non apparebit in conspectu meo vacuus.* Certe principes terrenos ad civitates nostras livertentes, non sine munere salutare consuevimus. Et olim

rege Persarum sine munere adire non licebat. Unde Sireta ille apud Ælianum, Artaxerxi Persarum regi forte sibi obvianti, aquam e vicino amne (cum aliud in promptu non haberet) manibus haustam obtulit: gratissimum regi munus, utpote qui non donum sed animum pensabat donantis. Itaque et nos jure merito venientem ad nos regem nostrum in re divina salutamus, quantumvis exiguo munere: ipse munus, quæ vidua misit in gazophylacium. Ingredientem in mundum Christo, obtulerunt ei magi dona pretiosa, simulque nos docuerunt, ut idem faceremus, quando in s. missa venit ad nos Christus. Abraham obvianti Melchisedechi sacerdoti cum oblatione panis et vini, decimas ex omnibus bonis suis dedit, Gen. XIV. atqui in missa occurrit nobis vetus noster Melchisedech cum oblatione panis et vini. Cur non ergo vicissim offeramus ei mundi aliquod. Porro ad honorem sacrificii missæ antiquitus, diebus præsertim dominicis, fideles panem et vinum offerre soliti sunt, tanquam materiam sacrificii et e. communionis, ut patet ex decreto Fabiani papæ, epist. III. ad Hilar. Cantores vero olim aquam fontis puram ad sacrificium afferebant, Aleuin. de divinis offic. cap. quid signif. vestim. Amalarius Fortun. lib. III. Eecl. offic. cap. XIX. Et pro dedecore habebatur, si quis dives præsertim nihil ad sacrificium attulisset, teste S. Cypriano, in lib. de operibus et eleemos. cum ait: « Locuples et dives es matrona et dominicum celebrare te credis? Quæ carbonam omnino non respicis: quæ in dominicum sine sacrificio venis; quæ partem de sacrificio, quam pauper obtulit sumis? » Et S. August. qui serm. CCXV. de tempore, ait: « Oblationes quæ in altari consecrantur, offerre. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit. » Quare S. Wenceslaus Bohemorum rex messis et vindemiæ tempore ipsemet manibus suis metebat et vindemiabat ea, quæ pro sacrificio sacerdotum manibus offerret, Tymp. in spec. mag. signo XXIII. p. II. adeo sibi ducebant honori ad mensam Domini ministrare necessaria.

III. Ad ministrorum Ecclesiæ sustentationem, templi conservationem, ornatum et instaurationem. Ideo enim in veteri lege voluit Deus, ut ex oblationibus hostiarum sua pars cederet levitis et sacerdotibus, Exod. XXIX. Deut. XVIII. Idipsum sensu typico præcepisse Deum, Deut. XXV. cum mandavit ne alligaretur os bovi trituranti, « estatur apostolus, 1. Corinth. IX. Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? An et lex hæc

non dicit? Scriptum est enim in lege Moysis: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Si nos vobis spiritualia seminavimus: magnum est si nos carnalia vestra metamus? Hæc apostolus. Sin non liceret pro spiritualibus donis, temporalia (absque contractu) recipere, non petisset Isaac venationem ab Esau filio pro benedictione illi impertienda, Gen. XXVII.

Cæterum ea populi oblatione admonentur sacerdotes ut ne officio suo desint. Videntur enim laici sacerdoti dicere: Nos tibi providebimus de temporalibus, tu interim age tanquam legatus noster causam nostram coram Deo fideliter. Speciatim vero in missa pro defunctis offertur panis et vinum, ut dum hæc percipiunt sacerdotes, meminerint ipsi offerre Deo pro defunctis panem et vinum eucharisticum, ad illorum spiritualem refectionem, refrigerium et liberationem.

Ne vero aliquis existimet non offerri Deo quod offertur sacerdotibus, nosse debet oblationes illas Deo fieri esseque actum religionis: a Deo vero dari sacerdotibus. Sic enim ipse ad Aaronem dixit, Num. XVIII. *Omnis oblatio et sacrificium, et quicquid pro peccato atque delicto redditur mihi et cedit in sancta sanctorum, tuum erit et filiorum tuorum: et mox: Primit, s quis voverunt et obtulerunt filii Israel, tibi dedi et filiis tuis et filiabus tuis jure perpetuo.* Nec repertus est aliquando de filiis Israel, qui expostularet contra hanc legem quasi ex avaritia sacerdotum profectam. Offers cenam servo amici tui: nonne hic est actus amicitiae, respiciens amicum tuum?

IV. Ad impetranda bona corporalia et spiritualia. Solent enim pauperes petiti a potente gratiam aliquam, offerre illi munusculum aliquod; hoc ipso quod dives a paupere tale munus accipit, obligari se advertit ad rependendum aliquid majus. Certe Artaxerxes, de quo supra, Sireta illi pro pugillo aquæ dedit stolam Persicam cum phiala aurea et mille denariis, aquam præterea oblatam excipi phiala aurea jussit. Similem munificentiam Gregorii XIII. pont. qui ante pontificatum Hugo Bonecompagnus vocabatur; expertus est pauperculus quidam rusticulus, qui cum Hugonem Bononiæ juris professioni operam dantem et forte ad villulam suam subinde divertentem familiariter novisset, inaudissetque ipsum Romæ factum esse summum omnium sacerdotem, statuit adire pro veteri notitia, salutare et gratulari. Accepit ergo secum, una cum uxore sua (si bene memini) rustica quædam munuscula, butyrum, caseum, similia, venitque Romam et undique disquirens ubinam habitaret Messier Hugo (hoc enim no-

mine sibi noto eum appellabat) cumque interrogati Romani non possent divinare quisnam esset iste Messier Hugo, addidit ille, se maudisse, quod Romæ esset maximus omnium sacerdos factus. Vix tandem cives deprehenderunt quæri ab isto pontificem, qui prius Hugo vocabatur: Itaque ad papam ablegant. Quo conspecto simpliculus ille salutari notum sibi Hugonem, admonet veteris amicitiae, gratulatur dignitatem, offert munuscula sua, non sine humanissimo risu et complacentia pontificis. Eum itaque Gregorius velut veterem amicum benignissime accepit et per dies aliquot lautissime tractari fecit, tandemque melioribus donatum muneribus ad propria dimisit. Bonus ille rusticulus pontificis humanitatem miris undique laudibus prædicabat. Ita audivi Romæ a viro fide dignissimo magnæque auctoritatis, qui noverat pontificem. Longe magnificentior et liberalior est Deus noster, qui vinci muneribus non potest. Unde apostolus exclamat: *Quis prior dedit illi et retribuetur ei?* ad Rom. XI. Non ergo patietur donum nostrum, quantumvis exiguum, si bona mente offeratur, irremuneratum. Ut enim regina Saba, postquam multa obtulit Salomoni, longe plura recepit (II. Par. IX.) ita nos a Deo plura semper recipimus quam demus aut possimus dare.

Imprimis possumus per oblationem redimere penas peccatis nostris debitas, unde oblatio a S. Hieronymo in Jer. cap. XI. vocatur *redemptio peccatorum*. Et ad quid putamus Dominum hodierno in evangelio dixisse: *Relinque munus tuum super altare? Ut ibi oret pro te*, inquit in eum locum Palacius, *et clamet ad Dominum, impetretque veniam tui delicti et pacem proximi tui.* Si enim Ecclesiasticus, cap. XXIX. dixit: *Conclude eleemosynam in corde pauperis et hæc exorabit pro te*, quanto magis hoc faciet oblatio quæ fit Deo, cum sit actus patriæ et religionis? Vin exemplum? Rarum et pulchrum refert Petrus Cluniacensis abbas, in lib. de miraculis sui temporis. « Est in Gratianopolitano episcopatu locus in venis subterraneis plurimum ferri habens quod multo meolarum et rusticorum sudore assidue eruitur; ac fornacibus coctum et expurgatum per circumjacentes terras fabris ferrareis vel quibuslibet pro lucro venditur. Inde et villa quam iidem homines juxta incolunt, Ferraria nuncupatur. Solent autem hujusmodi homines, dum terræ abdita fodiendo perscrutantur, spe majoris lucri longius procedere; et per subterraneos specus pertinaciter majorem ferri materiam perscrutari. Hunc operi dum quodam tempore quidam rusticus indefessus instaret, et intima terræ fodiendo acriter rimaretur, repente maxima moles terræ delapsa, aditum, per quem in-

gressus fuerat, obturavit: quia tamen fodiendo longius processerat, ac multum post se spatii exhausta terra inane reliquerat, mortem evasit: et velut in domo clausa, ac validis munitionibus undique circumsepta, egredi quidem non potuit, incolumis tamen permansit: sed tenebris tam tenebrosi carceris circumseptus, spæ omni evadenti sublata; ac velut in amplo sepulcro sepultus, mortem ipsam adhuc vivens jam se cernere existimabat. Quem jam per aliquot dies non apparentem uxor sua mortuum credens, ad animam ejus spiritualibus beneficiis adjuvandam conversa est: unde per annum integrum omni hebdomada unam ei missam a sacerdotibus celebrari faciens, et pro eo panem et candelam offerens, salutari sacramento, ut mos est Ecclesiæ, animæ defuncti mariti subvenire satagebat. Una tamen in anno hebdomada extitit, qua mulier aliis intenta negotiis, missam, ut proposuerat, marito providere neglexit. Ecce totius anni pene immenso spatio, rursus fossores metalli officio assueti, irrequieti instantes ad locum, in quo jam dictus rusticus adhuc vivens latebat, paulatim fodiendo perveniunt. Quorum dum voces et malleorum sonitus jam appropinquantium rusticus inclusus audisset, quantis potuit nisibus vociferari cepit. Cujus illi vocem audientes, et (utpote artis illius periti) hominis subterranei esse cognoscentes, sese invicem cohortati sunt, et ad eum tandem post multum fossionis laborem pervenerunt: quem accensis luminibus curiose circumspicientes, illum esse quem anno jam præterito ibidem obrutum esset sciebant, agnoverunt. Admirati, et ut par erat tantæ rei novitate stupefacti, quomodo illic vivere potuisset, instantissime inquirebant; at ille respondit isto, quem modo removistis, terræ obice foramini, per quod intraveram, objecto, cum hoc carcere, quem videtis, retentus fuisset, atque aliquantis diebus sine cibo et lumine permansissem, subito mihi jam pene deficiente cum pane simul et lumine quidam adstitit, qui me confortans, et ad cibum capiendum admonens, tetras tenebras illa candela, quam ferebat, clarissime illustrabat, eo pane per spatium septem aut octo dierum (ut mihi videbatur) refectus, totidem diebus illa candela illustratus, et famis periculum evadebam, et hujus fossæ tenebras evitabam. Post septem vero vel octo dies rursus ille qui prius cum recenti pane et renovato lumine adveniebat eaque mihi dimittens recedebat. Hoc per unius (ut mihi videbatur) anni excursus æquo pene temporis intervallo nunquam facere destitit, excepto unius hebdomadæ spatio, quo mihi præsentiam suam, munusque solitum, nescio qua de causa subtraxit. Hoc illi ab eo audientes, et quod pro-

illo uxor ejus per totum illum annum fecerat, ad mentem revocantes, cuncta protinus ei exposuerunt: deinde hominem de cavernis illis subterraneis educentes, uxori propriae, vicinis omnibus, et populo ad tantum spectaculum concurrenti mirum dictu, post annuam sepulturam, incolumem reddiderunt, qui simul congregati, et quod pro eo mulier fecerat, et quod ille de sese narrabat examinantes; eisdem diebus panem quo reficiebatur, candelam qua illustrabatur, et in illo specu oblata fuisse invenerunt, quibus mulier pro ejus requie et missam celebrari faciebat, et sacerdoti missam celebranti panem simul et candelam offerebat.» Hucusque Petrus Cluniacensis.

Sed audiamus etiam qua ratione Deus puniverit derisores oblationum. Balth. Chavassius de notis fidei, l. II. cap. scribit factum, ut ait, sibi notissimum. « Quidam secta Calvinianus ante aliquot annos Metis in Lotharingia, ibi cum essem, curiose ingressus templum quoddam catholicorum, hominem vidit ad altare humiliter supplicentem factaque oratione duo ova offerentem quo recedente, socio suo dixit: O papistam superstitiosum! Vadam et mihi auferam oblationem, quam stolidam hanc gallina edidit. Mox a socio paulo moderatiore audit: Si mihi credis, abstinebis, sinamus illos ritu suo vivere, sicut ipsi nostro volumus: quid alienum servum judicas? Domino quisque suo stat aut cadit. Gratulemur nobis lumen illud singulare, quod a Spiritu sancto accepimus, et quo si hic aliqui destituuntur est cur nos illorum misereat, sat severus vindex erit Deus in omnes, a quibus in religionem committitur. Non sapuit his monitis sed ait: Verba seminas; tu si vis tibi tempera, oblationem, ut dixi, mihi auferam eam in jentaculum crastinum cum sociis meis inducturus; non sine risu. Dictum factum, extendit ad oblationem impias manus, domum repetit, jentaculum parat, socios accersit, quid acciderit narrat, in risum effunditur, blasphematur, ovi unius vitellum sorbendum in os mittit. Adhuc erat esca in ore ejus, et ira Dei ascendit super eum, impiam mox exhalavit animam, stupescuntibus qui aderant, et discentibus quam non irrideatur catholicorum Deus. »

Intelligitis hinc, auditores, nequaquam perire, quod Ecclesiae et Deo offertur, sed largissime remunerari, si non in hoc, saltem in altero saeculo. Verum mundus parum allicitur mercede futuri saeculi, ut quae ipsi incerta videatur vel diu saltem expectanda sit. Hinc omnes pene omnium oblationes hominibus et fere opulentis fiunt a quibus vicissim munus aliud praestantius expectant in hac vita exhibendum, curvae in terris animae: sed quae sunt mundi dona? Quae

remuneraciones? Quae gratiae et favores nonne fumus? Nonne foenum? Misit aliquando S. Basilius Juliano imperatori apostatae optima sane mentes tres panes hordeaceos pro benedictione. Sed quid ei muneris remisit impius apostata? Foenum remisit, dicens: « Dat nobis hordeum, pabulum jumentorum, accipiat vicissim foenum. » Sed respondit ingrato imperatori Basilius: « Nos quidem, imperator, ea tibi obtulimus, quibus ipsi vescimur: tu vero ea nobis restituis, unde bruta viciantur, ultro quidem nos irridens. » Refert Chavas. de notis Eccles. l. I. c. XV. Profecto hic Julianus typum mundi expressit. Quid enim mundus solet pro exhibitis sibi muneribus, obsequiis, amicitiiis, quid rependere solet? Jumentorum pabulum, rex fluxas et inanes, quibus nutriuntur homines carnales; uno verbo foenum, quia: *Omnis caro foenum*, clamat Isaia. Itaque si sapitis Christiani, dona et obsequia vestra salubrius impendite, et Deo destinate, qui est omnium remunerator.

CONCIO IX.

DOCUMENTA EX EVANGELIO.

I. Qualis justitia a Christianis requiratur. — II. Plebeiis audiendum potius Dei verbum quam legendum. — III. Abhorrendum ab homicidio. — IV. Reprimendi iracundiae motus. — V. In ecclesia sunt altaria et sacrificia. — VI. Reconciliandi fratres. — VII. Christiana libertas non excludit legem.

THEMA.

Ego autem dico vobis. Matth. V.

Quando Deus in monte Sinai promulgavit legem cum terrore et majestate, Exod. XX. consternati inde Judaei dixerunt Moysi: *Loquere tu nobis et audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*. Itaque promisit eis Dominus prophetam de gente ipsorum, quem audire deberent, quod si non audissent, se ultorem fore, Deut. XVIII. Propheta iste Christus est, uti testatur S. Petrus, Act. III. qui veterem Dei legem cum omni mansuetudine clarius nobis proposuit, uti fecit imprimis in sermone habito in monte, unde hodiernum evangelium desumptum est. Itaque nemo unus sit, qui non audiat hunc prophetam, nisi malit Deum habere vindicem. Audiamus igitur legislatorem et doctorem nostrum, quae potissimum documenta tradat nobis in hodierno evangelio.

I. Docet, qualis justitia et vitae integritas a Christianis requiratur; major nimirum quam fuit olim Scribarum et Pharisaeorum; siquidem hunc sermonem habuit Christus non ad discipulos tantum suos, sed et ad omnis generis

homines, uti ad finem sermonis indicat Matthaeus, c. VII. dicens: *Et factum est, cum consummasset Jesus verba haec, admirata sunt turbae*. Porro Pharisaeorum vita praesertim in tyrocinio rigida erat et in speciem sancta. Multos annos colebant castitatem et virginitatem, victus eorum simplex et frugalis erat, vigiliis et orationibus vacabant, unde aliqui in assere admodum angusto vesperi quiescebant, ut si quis largius dormisset, in pavementum decideret, ut rursus excitaretur ad orationem. Alii lapillos, alii spinas sibi subternebant, ne in profundum somnum deferrentur, jejunabant bis in sabbato, dabant decimas ex omnibus, quae possidebant, spinas gerebant in fimbriis vestium, ut earum puncturis admonerentur legis observandae: ita ut Pharisei essent apud Judaeos, quod apud nos religiosi, uti scribunt partim Josephus, lib. XVIII. antiq. cap. II. et alibi, partim Epiphanius, haeresi XVI. partim Hieron. in c. XXXII. Matth. His tamen omnibus contentus non erat Christus, sed voluit nos meliores esse, quia nimirum haec opera illorum defectuosa erant. Quid ergo respondebunt, qui non modo non talia, sed nec minora praestant? Quid respondebunt illi, qui nunquam jejunant, nunquam aut rarissime orant? Quid, qui perpetui in popinis sunt et legis divinae nunquam recordantur? Si enim rejiciuntur illi, qui bona opera non recte faciunt, quomodo probabuntur ii, qui haec omnino non faciunt? *Non intrabitis in regnum caelorum*, ait Dominus iis, qui bona opera faciebant, etsi non bene: quid dicet illis, qui nulla faciunt, sed vivunt in christianismo, non ut Christiani, sed potius ut pagani? Nimirum id: *Nunquam novi vos, discite a me omnes operarii iniquitatis*. Et nunquam se probant, an per angustum id foramen intrare queant. David certe cum Goliath pugnaturus, postquam armis Saulis indutus erat, tentavit: *Si armatus incidere posset*; sed videns se gravari et retardari, ea deposuit. Ad hunc modum probare se quisque debet, num cum hac sua vivendi ratione salvari queat. Quid haeretici, qui haec opera bona non modo non faciunt, sed etiam irridunt, et nullam omnino justitiam habent aut admittunt? Quid enim illi facient, cum aliquando Deus requiret justitiam illorum? Num sola interna fides, sine operibus bonis salvare eos poterit? Atqui praeter eam Christus plus aliquid requirit, opera nimirum bona, quae melius et abundantius fiant, quam opera Pharisaeorum. Non enim excludit omnino opera Pharisaeorum, sed vult ea perfici et a defectibus purgari, ex fide et charitate fieri. Num sufficiet illis justitia Christi imputativa? Atqui Christus requirit justitiam, quae sit nostra, id est, in nobis et non extra nos: quam nos faciamus, et non aliud

juxta id I. Joann. III. *Filioli nemo vos seducat: qui facit justitiam, justus est, sicut et Deus justus est*.

II. Docet, plebeiis verbum Dei audiendum potius esse, quam legendum; siquidem Dominus non ait: *Legistis quia scriptum est: Non occides*, sed: *Audistis quia dictum est*. Ad turbas enim hic loquebatur. Ita fratribus epulonibus ait in persona Abrahae: *Habent Moysen et prophetas, audiant illos*, Luc. XVI. Doctos tantum ad Scripturam remisit et legisperitos, uti illum, cui dicebat: *In lege, quia scriptum est, quomodo legis?* Itaque plebs audire potius Dei verbum debet, quam legere, quia illud minus habet periculi quam hoc. Nam primo, non facile permittet Christus et mater nostra Ecclesia, ut falsa et adulterina dogmata in Ecclesia praedicentur. Non enim minus sollicitus est Christus et Ecclesia, ut doctores et pastores vera et salutaria praedicent, quam magistratus civilis ne medici, pharmacopola, mercatores et opifices medicinis mercibus et operibus suis fraudem misceant. Et sicut non metuimus, ne medicus aut pharmacopola venenum nobis propinet, cum pharmacis illorum utimur: ita non timendum, ne pastores et doctores Ecclesiae legitimi erronea nobis praedicent.

Contra vero facile decipi potest, quia ex lectione tantum verbum Dei vult percipere; si nimirum non juxta ss. patrum Ecclesiae sententiam, sed juxta proprium judicium Scripturam interpretari vult. Deinde, si contingeret decipi auditores a suo doctore, si deceptionem illam deprehendere et vincere nequirent, excusarentur apud Deum; uti qui consilio medici utitur, et juxta praescriptum ejus vivit, bene facit et nihil damnationis habet, licet noxium quid ab eo recipiat, unde moriatur. Non ita excusantur, qui ex lectione Scripturae venenum errorum hauriunt. Ad auditum legis remisit Dominus plebem, non ad lectionem.

III. Docet, abhorre ab homicidio, quod in lege etiam veteri poena talionis et mortis plebatur; uti Exod. XXI. ubi Deus praecipit: *Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur*: et Gen. IX. *Quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius*. Imo ibidem etiam a bestiis requisiturum se ait Deus sanguinem humanum ab eis effusum: *Sanguinem animalium vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum et de manu hominis, etc.* uti patet Exodi XXI. ubi jubet bovem (et a pari omnem aliam bestiam) homicidam lapidari, ad terrorem vide. licet et exemplum hominum, ut eo magis absterreantur a tam immuni facinore, quod etiam bobus luendum sit. Unde hodieque in multis locis porci aliaeque bestiae si pueros aliosve